

179. 555.



grata est, sic vicissim ipius Gentione Magnifico  
precor omnem prosperitatem, cum temporalem tum aternam, atq; in primis successum rerum in periculoso bello contra iuratum Christiani nominis hostem, Turcam, constantemq; victoriam.

Salutari etiam peto R. & doctissimum virum, Dñm Severinum Scultetum Barrphensem Theologum, amicum meum honorandum. Dominus Iesus sit vobiscum, Amen.  
Data Wittebergæ die 23. Martij, Anno Christi 1597.

Tuus ex animo

Aegidius Hunnius D.





353  
SP. VTATIO-  
NES DVÆ,  
Quarum prior agit de  
MANDVCATIONE  
ris Christi in cœna sacra:  
Posterior de  
ONE ET MORTE  
ini nostri Iesu Christi:

In Schola Cassouienſi  
A  
RTO GRAWERO Rectore  
m. in gratiam iuuentutis  
positæ atq; explicatæ:  
ſtum paſſionis ſaluatoris noſtri.

an: in Apocalyp. cap: 3.  
ua, quia neq; frigidus es, neq; ſeruidus:  
eſſes aut ſeruidus. Itaq; quoniam tepi-  
frigidus nec ſeruidus, incipiam te euo-  
p.

A R T P H Æ  
mebat Jacobus Klös.  
D. XCVIII.

Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
8  
Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
8

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black



grata est, sic vicissim ipius Generosa Magnificencia  
precor omnem prosperitatem, cum temporalem tum aeter-  
nam, atq; in primis successum rerum in periculoso bello con-  
tra iuratum Christiani nominis hostem, Turcam, constan-  
temq; victoriam.

Salutari etiam peto R. & doctissimum virum, Dñm Se-  
uerinum Scultetum Barphensem Theologum.amicum me-  
um honorandum. Dominus Iesus sit vobiscum, Amen.  
Data Witebergæ die 23. Martij, Anno Christi 1597.

Tuus ex animo

Aegidius Hunnius D.





DISPUTATIO= 353  
NES DVÆ,  
Quarum prior agit de  
ORALI MANDVCATIONE  
corporis Christi in cœna sacra:  
Posterior de  
PASSIONE ET MORTE  
Domini nostri Iesu Christi:

In Schola Cassouienſi

A

M. ALBERTO GRAWERO Rectore  
eiusdem in gratiam iuuentutis  
propositæ atq; explicatæ:

Circa Festum passionis saluatoris nostri.

Iohan: in Apocalyp. cap: 3.

Scio opera tua, quia neq; frigidus es, neq; seruidus:  
utinam frigidus esses aut seruidus. Itaq; quoniam tepi-  
dus es, & nec frigidus nec seruidus, incipiam te euo-  
mere ex ore meo.

BARTPHÆ  
Imprimebat Jacobus Klös.  
M. D. XCVIII.



VIRIS NOBILIBVS, AMPLISSIMIS AC  
DOCTISSIMIS, D. MARTINO WENCELIO ET STE-  
phano Hertzög, reipubl. Cassou. Senatoribus,  
Scholæq; ibidem inspectoribus: & D. Sebaldo  
Artnero Tribunopleb. Notarioq; publico  
Regiæ liberæq; ciuitatis Cassouiensis, Do-  
minis fautoribus ac amicis  
suis colendis. S.



VM PAVLVS APOSTOLVS ROM: 4. ET  
1. Corin: 10. & 14. sedulo ac diligenter moneat, vt omnes  
nostras actiones ad Dei gloriam & ædificationem Ecclesiæ  
ac infirmorum dirigamus, ego etiam mei officij diuinitus  
& legitimè mihi commissi memor, quando illum temporis articu-  
lum, quo de sacra Domini nostri Iesu Christi cœna eiusque passione  
salutifera agi solet, imminere videbam, meos discipulos, non inuti-  
libus nugis, vt quidam consueuerunt, onerare, sed in eisdem summis  
fidei nostræ articulis eos fideliter pro tenuitate ingenij mei erudire &  
has subiunctas *subiunctas* eisdem proponere volui. Vobis autem viri  
prudētissimi, D. Martine & D. Stephane priorem offero, ne illud  
Comici aliquando mihi iure obiciatur:

Ferè maxima pars morem hunc homines habent, quod sibi volunt

Dum impetrant, boni sunt: sed ibi vbi iam penes sese habent

Ex bonis pessimi & fraudulentissimi sunt.

Tibi autem D. Sebalde, cuius doctum ingenium & iudicium accu-  
ratum (præfiscinè hoc dixerim) sæpe admiratus sum, alteram: quia  
non minus tuæ benevolentiae signa aliquoties deprehendi atque per-  
spexi. Quod quaecunque, Viri Amplissimi, grati mei animi testi-  
monium, cum pro aliis maximis vestris erga me officiis: tum in pri-  
mis pro honestissimo de me iudicio, cum nuper mihi in Germaniam  
iter adornanti, vt iterum Scholæ vestræ operam meam addicerem,  
vno ore persuasistis: benigno animo vt accepteris oro. Cassouix 29.  
Martij, Strylo nouo, Anno 1598.

V. A.

addictis.

M. Albertus Grawerus





THEMATA  
DE ORALI MAN-  
DUCATIONE CORPORIS CHRI-  
sti, in cœna Domini.

**D**E orali manducatione acturi, necessum est, ut vitandæ dicitur Scilicet, quæ est errorum genitrix, causa, prius declaremus. quidnam per Oralemanducationem intelligamus: ignoratâ namque genuinâ vocabulorum, quæ sunt symbola mentis & rerum, significatione, res ipsæ ignorantur, aut saltem obscuræ manent.

Sciendum est igitur, quod triplex in cœna Dominica sit manducatio, Physica, Sacramentalis, (sub qua Oralis, de qua hoc loco,) & Spiritualis.

Physica manducatio est actio, qua cibus ore corporeo acceptus, dentibus commolitur, in ventrem per gulam traicitur, ubi mutatur in chylum: Deinde partim vertitur in nutrimentum, carnem & sanguinem: partim verò in secessum eiicitur.

Sacramentalis manducatio, quæ ratione huius Sacramenti peragitur, ore quidem fit, sed sine sensu tamen, & sine consequentibus physicis actionibus, sine commolitione, vel concoctione, & sine reliquis transmutationibus Physicis, quales contingere solent in manducatione illa carnali quotidianorû ciborum, ut ita hæc manducatio cum priore nihil commune habeat, excepto hoc unico, quod utraq; instrumento corporeo, ore videlicet, peragitur, modo tamen dissimili: quia prima immediatè ore peragitur: hæc autem non nisi mediante pane & quidem in actione huius Sacramenti, unde etiam Sacramentalis appellatur.

Spiritualis manducatio fide duntaxat peragitur, proprièq; est participatio meriti Christi & reliquorum bonorum spiritualium. Atq; hæc etiam extra Sacramentum fieri potest.

Hiscæ ita præmissis status controuersie rectè formari potest, hoc modo: An in actione sacræ cœnæ corpus Christi manducetur Physica manducatione, vel Sacramentali, ut nos eam descripsimus, vel duntaxat Spirituali?

Quod ad primam attinet, videlicet Physicam, prout illa à nobis de-

I.

II.

III.

III.

V.

VI.

VII.



Scripta est, simpliciter & categoricè affirmamus tali manducatione corpus Christi non manducari. Quòd ad tertiam, Spiritualem videlicet, eam in fidelibus & credentibus semper agnoscimus. De his igitur nulla hucusq; controversia.

VIII.

De secunda autem disceptatur, an nimirum in actione cœnæ Dominicæ secundum institutionem Christi corporeo instrumento, ore videlicet, vnâ cum pane, seu mediante pane Eucharistico, manducemus corpus Christi, quamuis non Physico & naturali modo: sed sine consequentibus Physicis actionibus? Hoc inquam in controuersia positum est.

IX.

Facessant igitur calumniæ & cauillationes Caluianorum de Capernaïtica laniena corporis Christi, de Physica ingurgitatione sanguinis ipsius, ac si carnem Christi manducari statueremus tali modo, quo carnem bubulam comedimus: Talia namq; nobis obiiicientes Caluiniiani contra propriam conscientiam statum controuersie permouant & inuertunt.

X.

Nos ad quæstionem propositam affirmatiuè respondemus: Nimirum, quòd in actione cœnæ Dominicæ iuxta institutionem Christi ore corporis tanquam instrumento, mediante pane manducemus verum naturale & substantiale corpus Christi suis iustis dimensionibus constans, quodq; pro nobis traditum est in ara crucis, quamuis hæc manducatio non fiat Physico modo.

XI.

Huius nostræ sententiæ has sequentes rationes ex sacra scriptura petitas adserimus.

XII.

Et primò quidem: Quandocunq; alicuius dogmatis veram & genuinam sententiam certò & indubitato cognoscere cupimus, semper in illa scripturæ loca respicere debemus, in quibus tanquam in propria & ordinaria sua sede tradita, fundata & patefacta est: In his namquè verus & genuinus sensus huius dogmatis absq; omni ambiguitate explanabitur. Atqui verba institutionis prout recitantur Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. & 1. Cor. 11. sunt ordinaria & propria sedes dogmatis de cœnâ Dominicâ, sicuti Paulus ipse tanquam normam & regulam agnoscit 1. Cor. 10. & 11. Ergo quandocunq; dogmatis de cœnâ Dominicâ verum & genuinum sensum habere volumus, ad verba institutionis respicere debemus.

XIII.

Maior propositio per se est manifesta: si namq; in eo etiam loco, qui est propria sedes alicuius dogmatis, veram & genuinam sententiam non depræhenderemus, non solum hac ratione omnia dogmata fierent dubia, sed etiam nullibi in sacra scriptura posset vera & certa dogmatum fidei explicatio inueniri. Ibi igitur, & non alibi vera interpretatio dogmatis quærenda, vbi etiam propria sedes illius & vbi ex professo de eodem agitur.

XIII.

Minorem quod attinet, credo eam non negari à quoquam, cum Sacramentum melius intelligi non possit, nisi ex sua institutione. Deinde si in locis allegatis



allegatis non esset propria sedes cœnæ Dominicæ, vbinam tandem esset ea collocanda ?

Frustra namq; obiiciunt 6. cap: Ioh: quasi ex eo vera interpretatio desumi debeat : illud enim, teste ipso Caluino in Commentario super Iohannem, de cœna Domini non agit. Euangelista enim affirmat concionem in 6. cap: habitam esse in tertio Paschatos festo: (quatuor enim festorum Paschatos mentionem facit Euangelista Iohannes) Cœna autem Dominica post integrum annum in quarto Paschatos festo non est repetita : sed primum est instituta, vt inquit Paulus 1. Cor: 11. Quomodo igitur 6. cap: Iohannis, quod integrum annum præcessit institutionem cœnæ Dominicæ: potest esse propria sedes cœnæ Dominicæ: An explicatio præcessit textum? an instituit Christus cœnam Dominicam antequam eam instituit? absurdum. Secundò, manducatio Iohannis 6. tantum Metaphoricè accipitur & tantum est Spiritualis, quod de manducatione cœnæ Dominicæ ipsi Caluiniani affirmare non audent: Patet enim in cœna Dominica, testibus Caluinianis, ore manducatur.

XV.

Tertio, panis Iohannis 6. duntaxat Metaphoricè accipitur: In cœna autem Dominica nullo modo accipitur Metaphoricè, quod confitentur ipsi Caluiniani. Quarto, ad cœnam Dominicam requiritur necessariò panis naturalis: De manducatione autem Iohan: 6. sic inquit Christus: Amen amen dico vobis, queritis me non quia vidistis signa: sed quia manducaastis ex panibus & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Ex quibus patet, quòd ad manducationem Ioh: 6. descriptam non requiratur naturalis panis. Quintò, manducatio Iohannis descripta est omnibus omninò hominibus, teste Christo, necessaria, imò competit omnibus Sacramentis, imò etiam extra Sacramentum consistere potest: Manducare enim carnem Christi Iohan: 6. nihil est aliud quàm credere in Christum, & beneficia ipsius per fidem sibi applicare: quod non solum in quolibet Sacramento, sed etiam extra Sacramentum fieri debet: Manducatio autem cœnæ Dominicæ nullo modo potest fieri extra Sacramentum, neq; competit reliquis Sacramentis: sed huic Sacramento duntaxat est propria, neq; omnibus omnino hominibus est necessaria ad salutem: Infantibus enim cœnam Dominicam non exhibemus. Sextò, Manducatio illa Iohan: 6. nemini cedit ad iudicium, sed omnibus ad salutem: manducatio autem cœnæ Dominicæ multis cedit, teste Paulo, ad iudicium.

XVI.

Cum igitur tot modis manducatio Iohan: 6. descripta disideat à manducatione cœnæ Dominicæ, quomodo potest eadem esse, aut quomodo vna per alteram solidè & verè declarari poterit? Aut quomodo vtrobiq; agi de cœna Dominica? Inconuulsam igitur manet explicationem cœnæ Dominicæ non aliunde nisi ex locis allegatis desumi debere.

XVII.



XVIII.

Si autem ea loca perlustremus, & veram genuinam verborum significationem retineamus, sponte sequitur nostra sententia, quod euincemus hoc Sylelogismo: Quodcumq; Christus dicens, Edite, iussit edere, illud vt ore manducaretur iussit. Atqui Christus dicens Edite, non solum iussit edere panem, sed etiam corpus suum. Ergo etiam Christus iussit vt non solum panis sed etiam corpus ipsius ore manducaretur.

XIX.

Quod ad maiorem atinet propositionem, illa negari non potest. Quod enim Christus per vocabulum Comedite, intelligat manducationem oris corporei, patet ex omnibus circumstantiis cœnæ Dominicæ: Inquit enim Euangelista: Accipit panem, fregit, dedit discipulis, dicens, Accipite, &c. Hæ autem actiones omnes sunt externæ, quæ quidem corpore peraguntur. Non dubium igitur est, quin etiam vox Comedite, significet actionem externam, quæ ore corporis peragatur. Aliter enim nulla esset coherentia & nulla connexio verborum, si spiritualement significaret actionem, & reliqua verba præcedentis actiones externas. Proculdubio igitur manducatio fuit externa sicut & acceptio.

XX.

Deinde, quod per vocabulum Comedite, intelligatur manducatio oris hinc sine omni dubio colligitur. In posteriori parte cœnæ inquit Christus: Bibite ex hoc omnes, scilicet ex poculo: Bibimus autem ex poculo ore. Quale igitur fuit bibere, talis etiam proculdubio fuit manducatio.

XXI.

Præterea inquit Marcus: Et biberunt ex eo omnes, inter quos, teste Luca, etiam fuit Iudas, qui fide bibere non potuit, cum diabolus illum iam insuaserat. Bibit igitur Iudas ore sicut & reliqui discipuli, qui tamen proculdubio fide fuerunt præditi, quia Iudas carebat. Certum igitur est quod etiam manducatio oris intelligatur.

XXII.

Deniq; quod intelligatur manducatio oris, colligitur ex eo etiam infallibiliter, quia panem discipuli ore manducârunt. Vocabulum igitur, Comedite, hoc loco significat manducationem, quæ ore peragitur. Firma igitur est maior propositio.

XXIII.

Sed obiiciunt hic Calviniani quidam, vocem Comedite significare quidem manducationem oris respectu panis: significare autem manducationem fidei respectu corporis Christi: Duplicem igitur habere vocem Comedite significationem.

XXIII.

Verum sciendum est, quod hoc effugium Calvinianorum adeo sit lubricum, vt neutro pede vel dextro vel sinistro subsistere possit: Impossibile enim est & nullo exemplo demonstrari potest, vt vna eademq; vox in vna eademq; propositione semel posita simul habeat significationem propriam & figuratam: rationes sunt duæ, prior: sicut nihil simul potest esse album & nigrum, par & impar, animatum & inanimatum: sic etiam vna eademq; vox in vna eademq;



eademq; propositione semel posita, non potest esse simul propria & figurata. Proprium enim & figuratum ita differunt, quemadmodum animatum & inanimatum, par & impar, &c. Neq; exempla, quæ Embdenses adducunt, vt, Non occides, Non suraberis, Venite ad me omnes, hanc rationem euertunt: hæc enim vocabulum, Occides & Furaberis, non simul propriè & figuratè accipiuntur, sed duntaxat in hoc loco figuratè, id est Synecdochicè: Est enim Synecdoche speciei pro genere, vt obseruauit oculatus ille Theologus Kemsnicus ex cap: 5. Matth: Venite autem vel Synecdochicè, vel Metaphoricè accipi potest. Adhuc igitur firma ratio nostra.

Posterior ratio est hæc: vt maneat salua & illasa veritatis constantia & certitudo, necessum est ut vnus propositionis vna sit & maneat certa ac minime dubia sententia: Quapropter etiam in vnica propositione vnus vocis semel posita vnica etiam duntaxat erit significatio, vt interea nihil dicam, quòd hæc duplex significatio huius vocis Comedite, quatenus hoc loco vsurpatur, nullibi in scriptura legatur: Nusquam enim Euangelistæ dixerunt, vocem Comedite, respectu panis significare manducationem oris corporei: respectu verò corporis, manducationem fidei. Eadem igitur facilitate reiicitur, quæ profertur. Quapropter etiam illa Embdensium exempla ( de quibus paulò ante) non conueniunt, quod enim illa Synecdochicè accipiantur ex scriptura patet. Quod autè vox Comedite, hoc loco simili modo vsurpetur, ex scripturis ostendi non potest. Inconuulsa igitur adhuc manet maior propositio Syllogismi propositi, nimirum quod Christus iusserit ore illud ipsum manducare discipulos, quod iussit illos edere, quando dixit, comedite, &c.

Minorem propositionem si negauerint, tum sequetur necessariò, quòd neq; oralem neq; spiritualem manducationem corporis in cæna instituerit Christus, quod absurdum & impium esse nemo non videt. Spontè igitur sequitur conclusio.

Si tamen omnino negare voluerint ( quod tamen sine contradictione & impietate fieri non potest ) Minorem propositionem, nimirum quòd Christus iusserit discipulos corpus suum manducare, faciliè illa confirmari potest: Illud ipsum enim quod Christus iussit manducare, dixit corpus suum esse: inquit enim: Edite: Hoc est corpus meum. Firmiter igitur adhuc sequitur: Quodcumq; Christus iussit manducare, dicens, Comedite, hoc ore manducabatur. Atqui corpus Christi est illud, quod Christus iubebat manducare. Ergo corpus Christi ore manducabatur. Maior antea est probata. Minor patet ex istis Christi verbis: Edite, hoc est corpus meum.

Verùm hic adamatam suam Metonymiam adferunt, qua se effugere posse cogitant: Aiunt namq; hanc propositionem, Hoc est corpus meum, non propriè

XXV.

XXVI.

XXVII.

XXVIII.



prie, sed Metonymicè accipiendam esse, vt resoluatur hoc pacto: Hoc est corpus meum: hoc est, signum corporis mei, vel, hoc significat corpus meum.

XXIX.

Atq; hoc effugium illorum multis solidissimis rationibus euerti potest. Primò, quia Metonymia est tropus dictionis in vnica consistens dictione, & non in integra enunciatione, quod patet ex definitione ipsius Metonymiæ. Atqui testibus ipsis Calvinianis, Metonymia neq; in prædicato, neq; in subiecto, neq; in copula poni potest: Per particulam enim, hoc, Calviniani intelligunt panem verum & naturalem: Non igitur in voce, hoc vel panis, est Metonymia: neq; in copula, est: quia enim, verbum substantiuum semper est & manet substantiuum, idcirco etiam semper ὑπαρξεν significat, & nunquam potest usurpari pro significat, vt ipse Fortunatus Crellius, alias Calvinianus, in 2. lib. Log. suæ fatetur. Sicuti enim opponuntur signa & res: ita etiam opponuntur esse & significare. Neq; in voce, corpus, possunt Metonymiam ponere, vt nimirum, corpus, hoc loco idem valeat, quod signum corporis: Hæc enim interpretatio expressè pugnaret cum his verbis cœnæ, Quod pro vobis traditur: Signum enim corporis pro nobis non traditur. Cùm igitur singula verba huius enunciationis retineant suam propriam & genuinam significationem, Metonymia in hac enunciatione constitui non potest, cùm Metonymia non sit integræ enunciationis, sed dictionis duntaxat tropus.

XXX.

Secundò, nunquam in ea propositione potest esse Metonymia, in qua simul exprimuntur signum & signatum: Metonymia enim tum demum est, quando signum ponitur pro signato, & ipsum signatum interea non exprimitur, sed sub voce signi intelligitur: Sic quando Cic: in oratione pro Pisone, per Metonymiam arma ponit pro bello, arma quidem tanquam signum nominat, bellum verò in eodem versu non exprimit: Si enim bellum simul exprimeret non posset esse Metonymia. Cuicumq; enim non competit definitio Metonymiæ, eidem nec ipsa Metonymia. Atqui propositioni in qua exprimuntur signatum & signum, non competit definitio Metonymiæ. Ergo nec ipsa Metonymia. Maior patet per se cùm sit reciproca argumentatio à definitione ad definitum. Minor etiam per se est vera: Metonymia enim est eiusmodi figura, quando nomen vicinum pro vicino ponitur, signum videlicet pro signato, & non quando vtrunq; simul nomen exprimitur. Atqui in hac propositione, Hic panis est corpus Christi, vel, Hic panis est corpus meum, exprimuntur simul signum & signatum, panis videlicet & corpus Christi. Non poterit igitur hoc loco esse Metonymia.

XXXI.

Tertiò, quod hic non sit Metonymia efficitur hac ratione: quia nullum signatum in casu recto potest prædicari de suo signo vel figuratè vel propriè. Atqui in hac propositione, corpus prædicatur de pane in casu recto. Ergo in hac propositione corpus non potest prædicari de pane tanquam signatum de signo



signo vel proprie vel figurate. Maior propositio est manifesta, quia nullo exemplo eueri potest. Minor est ex scriptura petita & negari non potest, testibus ipsis Caluinianis. Ruit igitur Metonymia signi & signati in hac propositione.

Quarto, si talis esset Metonymia in hac propositione, qualem Caluimiani constituunt, tum nullam prorsus manducationem corporis Christi possimus ex hisce verbis demonstrare: Ita enim resoluunt Caluimiani: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, id est, hoc est signum corporis mei: Quæ resolutio si vera est, sequitur hinc quòd Christus iusserit suos discipulos accipere & comedere non corpus suum, sed signum solum & Sacramentum corporis sui. Quo pacto neq; Spiritualem neq; oralem corporis Christi manducationem Christi in his verbis institutam esse poterimus ostendere. Prorsus igitur nulla manducatio corporis Christi in verbis cœnæ erit instituta, si Metonymia Caluimianorum locum habere debet.

XXXII.

Neq; iuuat quicquam Caluimianos, quòd dicere solent, signa non esse nuda & vacua: sed habere annexa ipsa signata: Hinc enim nondum consequitur, quòd Christus iusserit manducare corpus suum: Non valet enim hæc consequentia: Christus in cœna iussit manducare signum corporis sui, quòd signum annexum habet corpus. Ergo etiam iussit ipsum signatum, videlicet corpus suum manducare. Vbi enim nullum est mandatum & nulla promissio de manducatione signati, ibi nos absq; verbo Dei non audemus manducationem quandam instituere, non enim necessum est, vt absq; verbo Dei expresso, tribuamus idem signato, quòd signo. Si autem vera est Metonymia Caluimianorum, nullum expressum mandatum in cœna Dominica habemus de manducatione corporis Christi: sed tantam de manducatione signi corporis Christi. Non igitur hoc effugio satisfacere poterunt, quòd signum annexum sibi habet at signatum, vt interea nihil dicam, quòd illi eiusmodi fingant coniunctionem signi & signati, quæ est maxima distantia, & separatio, siquidem corpus Christi tantum in coelum relegant, & panem in terris relinquunt. Imò vt & hoc præteream, quòd aliam manducationem tribuant pani, tanquam signo, & aliam corpori, tanquam signato, quomodo igitur manducationem corporis, cuius mandatum non habemus in cœna Dominica expressum, si regnare debet Metonymia Caluimistarum, ex manducatione panis elicient?

XXXIII.

Quinto, si in hac propositione esset Metonymia, tum proculdubio illa alicubi in scripturis esset explicata, cum hic sit perpetuus mos ipsius scripturæ, vt quando aliquid in vno loco figurate proponitur, illud vel in eodem vel in alio, vbi de eadem materia agitur, dilucidius & clarius explicetur. Iam Caluimiani nullum possunt ostendere locum ex tota sacra scriptura, in quo de cœnæ agitur, quòd hæc propositio Metonymicè exponatur. Et etiam si in reliquis

XXXIII.



Sacramentis hoc ostendi posset, sicuti tamen non potest, nondum tamen sequatur, quod etiam in hac propositione huius Sacramenti sit Metonymia. cum nondum ex scriptura ostenderit, neque unquam demonstrare possint, quod omnium Sacramentorum eadem prorsus sit ratio. Sicuti alias hanc fictitiam regulam non nisi semper inculcare solent.

XXXV.

Denique haec Metonymia Calvinianorum corpus Christi tanquam precipuam partem substantialem ex coena Dominica tollit, & solum ad caelos re-  
legat: Coena namque Domini instituta est, teste Paulo, ut celebretur hic in terris, ubi homines conueniunt: Non autem in caelo. Christus enim non ordinauit cuiusmodi cenam, in qua manducaremus panem in his terris, & corpus ipsius in caelo. Neque in tota sacra scriptura ullibi fit mentio eiusmodi coenae, quae fide nostra in caelo peragi debeat. Non enim quid in caelo, sed quid in coena, quae in congregatione hominum celebratur in his terris, fieri debeat, Christus in coena instituit.

XXXVI.

Neque quicquam prodest illis, quod recurrunt ad fictitium suum principium: Fidei omnia sunt praesentia, nimirum, quamuis corpus Christi neque ore manducetur, neque in his terris subsistat, sed solum in caelo, tamen posse esse praesens in coena, quatenus fide Christi corpus consideramus, illudque una cum beneficiis nobis applicamus: Fidei igitur praesens esse corpus Christi, quamuis non ori corporeo.

XXXVII.

Hoc inquam effugium illorum nullius est momenti, cum falsissimum sit, quod fidei omnia sint praesentia: sic enim aut nulla esset fides praeteritorum, atque sic rueret creatio, incarnatio &c. Neque futurorum, atque sic corrueret resurrectio mortuorum & vita aeterna: Aut sequeretur quod praeteritum esset praesens, imò futurum etiam esset praesens, quod manifesta contradictionis implicatione non caret. Deinde, si hoc principium verum est, quomodo subsistit alterum illorum principium: Recordatio non est rerum praesentium: utroque enim principio contra nos utuntur. Si enim fidei omnia sunt praesentia, recordatio autem non est praesentium, sequitur quod nulla fides possit esse de recordatione, imò nulla recordatio de fide, neque ulla fidelis recordatio, quod ipsum manifeste contradicit scripturae. Atque sic mutuo se perimunt principia Calvinianorum.

XXXVIII.

Praeterea scire debebant Calviniani quod τὸ ὄντιστον non sit causa τῶ πῖστος, sed τὸ ὄντιστον ἴσ πῖστος, hoc est, fides non potest esse causa sui obiecti seu eius rei quam apprehendit: sed illud quod fide apprehenditur, est causa fidei. Non enim idcirco aliquid existit, quia nos credimus: sed contra ideo credimus quia existit. Non igitur fides in coena Dominica potest esse causa praesentiae corporis Christi: Non enim idcirco statim adest corpus Christi in coena, quia illud fide nobis applicamus, sed potius contra, quia adest in coena

Dominica



**D**ominica, idcirco fide nobis possumus illud applicare. Fides igitur in cœna Dominica non potest efficere, ut corpus Christi sit præsens in cœna, præcipuè cum Calviniani ne tota quidem ostendere possint ex iis scripturæ locis, ubi ex professo de Cœna Dominica agitur, quòd in cœna sit eiusmodi manducatio, in qua quidem ore corporis panem percipiamus: Fide autem interea in cœlum ascendamus (cum tamen fides tanquam accidens suam subiectum non egrediatur) & ibi illud ipsum nobis applicemus. Vbi autem nullum verbum & nulla promissio, ibi neque potest esse ulla fides. Est igitur figmentum cerebri Calviniani. Fingunt enim quòd in cœlis debeamus manducare corpus Christi, cum cœna non in cœlis, sed in terra peragatur.

Denique fides non potest efficere, ut res absens sit præsens, quamvis enim largiri possumus, quòd fidei omnia sint præsens. ratione considerationis & cogitationis: Nunquàm tamen verum est, quòd fidei omnia possint esse præsens. ratione subsistentiæ seu existentiæ. Per nudam igitur cogitationem & considerationem habebunt corpus Christi præsens in cœna Dominica Calviniani, & non per realem subsistentiã: quæ præsens imaginatiua magis propriè dicitur absentia, quàm præsens. Nunquam enim fides hoc efficere potest, ut quòd realiter duntaxat subsistit in cœlo, realiter etiam simul sit in cœna, quæ in terris peragitur. Valeat igitur Metonymia Calvinianorum, quæ solùm præsens imaginatiuam corporis Christi introducit, ut nihil dicam, quòd hæc fides non sit fides, cum careat expresso Dei verbo.

Ex his satis superque elucet, Metonymiam Calvinianorum in cœna locum habere non posse. Neque urget nos necessitas, ut à propria & literalis sententia horum verborum, Hoc est corpus meum, discedamus: Urgent autem quam plurimæ causæ, ut proprietatem verborum retineamus. Quòd ut manifestius fiat, paucis diluemus ea, quæ Calviniani pro necessitate Metonymiæ adferre solent: Et deinde adiiciemus ea argumenta, quibus irrefragabiliter obtineri potest proprius & literalis sensus horum verborum.

Quòd ad Calvinianos attinet, primò, hanc afferunt rationem: Quòd si corpus Christi realiter esset in his terris & ore manducaretur, sequi hinc, ut corpus Christi simul sit in pluribus locis, quòd fieri non posse persuadere volunt his rationibus.

Quicquid autem suæ essentia aut alieni corporis terminis circumscriptum est, illud non potest simul & semper actu esse in duobus aut pluribus locis: aut si quædam potest esse, sequitur quòd neque suæ essentia, neque alieni corporis se. Modus præsens terminis sit circumscripta, quod est absurdum & tollit discrimen inter creaturam & Deum creatorem, qui solus neque suæ essentia, neque alterius substantiæ terminis circumscribitur. Atqui etiam corpus Christi suæ essentia terminis circum-

XXXIX.

XL.]

XLI.

XLII.



**XLIII.** *nis circumscriptum est. Ergo in pluribus simul locis actu esse non potest.*  
 Omnia hæc argumenta procedunt à proprietate naturali ad gratiã unio- nis personalis, à corpore nudo ad corpus unum, à modo locali ad illocalẽ, unde perpetuò oriuntur.

Deinde, si quedam substantia creata potest esse in pluribus locis, illa vel erit incorporea vel corporea. Sed incorporea esse non potest: quia illa sua essentiã terminis finitur. Si igitur substantia incorporea non potest esse in pluribus locis, multò minus hoc adiunctum poterit substantiã corporeã attribui, cum non solum suã essentiã terminis finitur: sed etiam alieni corporis terminis sit circumscriptum. Ideoq; si statueretur simul & semel actu posse esse in duobus aut pluribus locis: tum necessariò sequeretur, illud unum numero existens posse simul & semel actu à diuersis numero superficiebus corporum ambientium immediatè circumscribi: Et per consequens totum simul & semel actu intrã vnã numero superficiem corporis continentis, & totum extra illam, quòd pugnat cum natura corporis naturalis, & sine contradic- tionis implicatione dici non potest.

**XLIII.** *Præterea si substantia aliqua creata potest simul & semel actu esse in duobus aut pluribus locis, sequitur eandem quoq; simul & semel actu esse in vno loco sursum, in altero deorsum, in vno moueri, in altero quiescere. Sed hæc omnia absurda, & implicant contradictionem, Ergo substantia creata non potest esse in pluribus locis.*

In Syllogismo quatuor terminis.

**XLV.** Deniq; si vnum numero accidens non potest esse in diuersis numero subiectis, sequitur, neq; vnã numero substantiam posse esse in diuersis numero locis. Sed verum est antecedens omnium consensu. Ergo etiam consequens.

**XLVI.** Ad has rationes Philosophicas Caluimianorum, quia vno eodemq; principio nituntur, vnica distinctione respondere possumus: Vnum idemq; corpus non esse simul in pluribus locis modo circumscriptiuo, seu secundũ circum- scriptionem corporis, prout vel essentiã suã terminis longitudine, latitudine & profunditate, vel corporis alieni terminis circumscribitur, hoc ipsum enim propter allatas rationes fieri non potest. Nunquam autem nos docuimus, quòd corpus Christi simul sit in pluribus locis, secundum expansionem vel secundũ circum- scriptionem terminorum corporis naturalis. sed hoc credimus, quod corpus Christi in statu eximitionis circumscriptiuẽ & localiter duntaxat fuerit in vnico loco, & etiã nũ possit esse, quando velit circumscriptiuẽ in vni- co duntaxat loco: Idq; tribuimus ipsi propter proprietatem corporis insepas- rabilem, quã est circumscribi longitudine, latitudine & profunditate. De- inde autem asserimus, quòd corpus Christi longè sublimiori & alio modo possit etiam simul esse in pluribus locis: Idq; idcirco, quia corpus Christi non solummodo existit in loco: sed etiam in persona filij Dei, in quam assumptum est: Localiter enim & circumscriptiuẽ est in loco: in persona autem filij Dei, in qua nullus est locus. quã neq; locus est, subsistit quidem tanquam cor- pus circumscriptiuum, sed non modo circumscriptiuo & locali: verum illo- cali. Quam



eali. Quam distinctionem Caluiniiani non prius euertent, quam ostenderint, eandem esse rationem loci & personæ filij Dei, & quòd eodem modo subsistat in loco & persona filij Dei. Cùm igitur non statuamus corpus Christi simul localiter esse in pluribus locis, sed localiter in vnico duntaxat, illocaliter autem in pluribus locis, nihil absurdi hinc sequitur. Rationes enim allatæ pugnant contra eum, qui asserit vnum idemq; corpus vno eodemq; modo locali, videlicet, physico & circumscripto esse in pluribus locis, quòd nos non facimus. Semper igitur ad est verum & circumscriptum suæ essentia terminis corpus, quamuis non circumscriptiuo physico modo.

Iure igitur negamus hoc axioma Caluiniianorum: Impossibile esse, vt corpus Christi sit in pluribus simul locis: quamuis enim non proprietate naturali: tamen gratiâ vnionis personalis & vi omnipotentia Dei, potest esse in pluribus locis: Nondum enim ex verbo Dei ostenderunt hoc Axioma, quòd Deus suâ omnipotentia non possit efficere, vt corpus Christi maneat, verum essentiale & circumscriptum corpus terminis essentialibus, & tamen, non modo Physico: sed hyperphysico sit in pluribus locis: Hoc, inquam, axioma non ex regulis Physicis, sed ex manifesta scriptura ostendere debent. Si enim iuxta Physicam de omnipotentia Dei iudicare liceret, neganda etiam esset creatio, imò & alia, sicuti paulò post videbimus.

XLVII.

Nullius enim est momenti, quòd obicere solent, destrui naturam & essentiam corporis humani, si statuatur esse in pluribus locis: Nondum enim & hoc euerunt ex scriptura, quòd Deus absq; destructione corporis humani non possit efficere, vt vnum idemq; corpus sit simul in pluribus locis.

XLVIII.

Neq; hoc cauillo quicquam proficiunt, quando dicunt, sequi multiplicationem corporis Christi, si statuatur simul in pluribus locis, & simul ore multorum accipi in cœna Domìnica: Multiplicatio enim hæc tum sequeretur, si localem & circumscriptiuam præsentiam crederemus. Verùm cum nos statuamus illocaliter & supra naturali modo corpus Christi simul esse in pluribus locis, vbi cœna peragitur, nulla hinc sequitur multiplicatio corporis Christi. Si enim crederemus corpus Christi localiter esse in cœna Domìnica, sequeretur etiam multiplicatio, quemadmodum etiam sunt multe particule panis: sed quia docemus vnum idemq; corpus simul esse modo illocali sub pluribus particulis panis in cœna Domìnica, multiplicatio Caluiniianorum non est metuenda.

XLIX.

Deniq; & contradictio, quam Caluiniiani fingunt, nulla hic suboritur: dicunt Deum quidem posse omnia facere, quæ non implicant manifestam contradictionem: esse autem manifestam contradictionem, vnum numero corpus simul finitum esse, simul verum corpus esse, & tamen simul in locis diuersis esse. Verùm sciendum est, contradictionem debere fieri his obseruatis con-

L.



ditionibus, nimirum ut opposito fiat respectu eiusdem subiecti, secundum eamdem partes, eodem modo. & in eodem tempore. Harum conditionum si una absuerit vera contradictio non est. Absent autem in hac oppositione Caluiniatorum tertia conditio, nimirum, eodem modo: non enim dicimus, quod unum corpus eodem modo, simul sit in unico, & simul in pluribus locis, neque hoc dicimus, quod unum corpus simul sit unum & multiplex, hoc namque si crederemus forsitan contradictio admitti posset. Verum quia nos docemus, quod unum idemque verum corpus Christi proprietate naturali & localiter sit in unico loco: illocaliter autem & per modum unionis personalis sit in pluribus locis, nulla hinc sequitur contradictio. Neque hoc contradictorium est, quod corpus Christi simul locale & simul illocale constituimus, non sit enim hoc respectu eodem: proprietate enim naturali est locale, quatenus nimirum in loco subsistit: gratia autem unionis personalis, quatenus in persona filij Dei subsistit, est illocale, cum neque loca sint in persona filij Dei, neque persona filij Dei sit locus. Nulla igitur hic contradictio.

LL

Denique non omnia quae nobis videntur contradictoria, etiam apud Deum sunt contradictoria, cum ut Paulus ait ad Ephes: 3. Deus abundanter plura possit praestare, quam nos intelligimus, & cum nulla sit proportio inter sapientiam nostram & sapientiam Dei, inter cogitationes nostras & cogitationes Dei, ut inquit Esai: cap. 55. Et si statim illud omne esset contradictorium, quod nobis videtur, tum neganda esset ipsa Trinitas, siquidem maxime plausibilis videtur contradictio, ut una eademque numero essentia diuina sit simul & semel in tribus realiter numero distinctis personis. Neganda esset resurrectio mortuorum. siquidem manifestam videtur implicare contradictionem, quod credimus resurrectionem omnis carnis humanae, etiam eius, quae deuorata est a bestiis & piscibus, & mutata iam est in carnem bestiarum: carnem autem bestiarum resurrectionem non credimus ex scriptura. Nisi igitur firmiter ex sacra scriptura ostenderint Caluiniiani, simpliciter esse, contradictorium etiam apud ipsum Deum, ut corpus Christi sit verum & essentiale corpus, & tamen simul & semel sit in pluribus locis, modo hyperphysico, non poterimus hac in parte Caluinianis assensum praebere, cum moneat Apostolus Paulus in 1. Epistola ad Timoth: 6. cap. Ne verisimilibus oppositionibus nos decipi patiamur. Relinquitur igitur, ut Caluiniiani ex scriptura probent, Deum, absque destructione corporis Christi, sua omnipotentia, non posse efficere ut corpus Christi simul & semel sit actu in pluribus locis. Item, quod implicatur contradictio, Corpus Christi esse verum corpus, & tamen esse in pluribus locis. Hoc inquam manifeste ex scriptura probare debent, cum hic de manifesto articulo fidei caena Domínica, videlicet, agatur. Lubricum igitur est primo



est principale fundamentum Caluinianorum: Vnum, videlicet, corpus, non posse esse in pluribus locis.

Præterea & hoc obiiciunt: propriam verborum cœnæ Domini sententiam retineri posse, cum pugnet, cum articulo de ascensione Christi: Articulus enim de ascensione docet, quòd Christi corpus sit in cœlis: non posse igitur simul esse in terris, vbi cœna Dominica peragitur. LII.

Verùm articulus ascensionis Christi, nihil pugnat cum præsentia corporis Christi in his terris: docet quidem corpus Christi esse in cœlis, sed quòd tantùm sit in cœlis, nullibi ostendit hic articulus. Est igitur corpus Christi in cœlis, quia articulus de ascensione Christi hoc ipsum docet: Est etiam in his terris, vbi cœna Domini celebratur, quia verba institutionis cœnæ, hoc ipsum euincunt. Simul igitur potest esse in cœlis & in cœna, quia vtrumq; scriptura tradit. Neq; est vt hic reponant vicissim nobis illud, quod antea dissolutum est, videlicet, Corpus Christi non posse esse in pluribus locis: falsum namq; esse hoc axioma in prioribus ostensum est. LIII.

Adhæc articulus de ascensione, non poterat pugnare contra primam cœnam, cum Christus tempore primæ cœnæ nondum ascenderat in cœlum. Quomodo igitur pugnat contra nostram cœnam, quæ eadem est cum prima cœna. Falsum igitur est, quòd dicunt Caluiniani se articulo ascensionis Christi permoueri, vt deserant proprietatem verborum cœnæ Domini. LIIII.

Præterea quòd attinet ad articulum de reditu Christi ad iudicium, similiter nobiscum non pugnat, Quomodo enim iuit in cœlum, & quomodo viri Galilæi viderunt illum ascendentem in cœlum, eodem modo etiam redibit, vt inquit Angelus in Actis cap: 1. Visibili autem modo viderunt illum ascendentem. Ergo etiam visibili modo redibit, vnde etiam toties Apostolus Paulus in suis Epistolis, diem extremi iudicij vocat apparitionem Christi. Hinc autem non sequitur, quòd Christus interea inuisibiliter nobis adesse iuxta suam promissionem non possit. LV.

Deniq; obiiciunt & alia quædam dicta scripturæ, de quibus non incommodè possum us querere, an illa debeant potius cedere verbis cœnæ, an verò verba cœnæ illis debeant cedere? Certè cum illa dicta non agant de cœna Domini, ex illis dictis cœna Dominica non poterit explicari. Quapropter etiam quando vera sententia cœnæ Domini ex iis locis, vbi est propria sedes illius, inuenta est, non possumus propter apparentem contradictionem reliquorum scripturæ dictorum eandem deserere, sed necessum est, vt potius ea dicta, quæ videntur pugnare, ita interpretemur ex contextu, vt consentiant cum verbis cœnæ Domini. LVI.

Deinde, & illa dicta quæ obiici solent à Caluinianis, non simpliciter negant præsentiam corporis Christi in his terris: sed duntaxat negant præsentiam LVII.



sentiam certæ cuiusdam circumstantiæ: Exempli gratia, quando obiicitur: Me non semper habebitis vobiscum, non simpliciter hic negatur præsentia Christi: hoc namq; pugnaret cum expressa promissione Christi, Matth. 28. Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi. Negatur igitur duntaxat certa quedam circumstantia præsentia Christi, id est, Non habebitis in posterum me ita, vt possitis mihi benefacere, & possitis me vngere. Item, quando dixit, angelus: Surrexit non est hic, non affirmat angelus quod non sit in cœna, sed quòd non sit in sepulchro, nimirum eo modo, quo illum querebant mulieres, videlicet, tanquam mortuum inter viuos: Non enim amplius aderat mortuus ibi, quamuis viuos adfuerit, quod voluit angelus indicare, quando dixit, Surrexit, Item, Quid queritis mortuum inter viuos? Sic quando Christus inquit: Relinquo mundum, nihil aliud vult dicere, quàm quòd relinquat mundanam & visibilem conuersationem, iuxta quã in statu exinanitionis conuersabatur cum Apostolis. Eadem est ratio reliquorum dictorum. Præcipue autem illa dicta, quibus asseritur, Christum esse in cœlis, nihil nobiscum pugnant, cum non asserant, quòd Christus tantum sit in cœlis, & non simul in terris, quòd manifestis scripture dictis Caluiniiani probare debebant. Atq; sic dissolutæ sunt rationes Caluimianorum, quibus putant nos vrgeri, vt deseramus proprietatem verborum cœnæ Dominicæ.

LVIII.

Sequitur vt aperiamus rationes, quibus euincitur necessariò retinendum esse proprium & literalem sensum verborum cœnæ. Quarum prima est hæc. Verba testamenti, quibus certa aliqua bona hæredibus legantur, non possunt esse figurata & ambigua: Hac namq; ratione testator seu autor testamenti præberet ansam rixandi hæredibus. Atqui hæc verba Christi, Hoc est corpus meum, sunt verba testamenti, quibus legantur bona Christianis hæredibus. Ergo non possunt esse ambigua & figurata.

LIX.

Minor propositio est desumpta ex verbis institutionis cœnæ. Maior per se est vera, quia nulla instantia euerti potest, nam quòd obiiciunt exempla Abrahami, Isaaci & Iacobi, qui in suis testamentis typicè & figuratè sunt locuti, frustraneum suscipiunt laborem, siquidem argumentum nostrum non loquitur de eiusmodi testamentis, in quibus autor testamenti vaticinatur de rebus futuris, quale est testamentum Iacobi & Isaaci, &c. Sed de eiusmodi testamentis, in quibus certa bona legantur hæredibus.

LX.

Secundò, discrimen Veteris & Noui testamenti requirit, vt proprium & literalem sensum verborum cœnæ retineamus. Vetus enim testamentum habebat umbram futurorum, & significationem venturi Christi: Nouum autem testamentum, vt dicitur ad Coloss. 2. & Epistola ad Heb. 10. non habet typum sed ipsum corpus Christi præsens. Deinde, si Metonymita significatio in verbis cœnæ admitti deberet, nullum esset discrimen inter poculum Veteris testamenti,



DE ORALI MANDUCATIONE.

testamenti, quo utebantur in esu agni Paschalis, & inter poculum Noui testamenti: Si enim poculum Noui testamenti idcirco dicatur poculum Noui testamenti, quia significet sanguinem Christi: etiam illud poculum, quod discipuli sumebant vltimò in Veteri testamento in esu agni Paschalis, dicendum erit poculum Noui testamenti, quia significabat sanguinem Christi. Atq; sic confundetur discrimen Veteris & Noui testamenti.

Tertiò, idcirco retinere debemus proprium horum verborum sensum, quia consensus Euangelistarum & Apostoli Pauli hoc euincit, nullibi enim hæc verba, Hoc est corpus meum, Metonymicè explicant. Acquiescamus igitur in proprio sensu. LXI.

Quartò, verba Lucae in posteriori parte cœnæ adeò euidenter euincunt, sanguinem Christi realiter esse in his terris, vbi cœna Dominica peragitur, vt nullo modo contradicere possimus: sic enim inquit Lucas: τὸ τοῦ ποταμοῦ, ἢ καὶνὸν ἀδαμάκην ἐν τῷ εὐμαλίῳ, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Quæ verba si rectè construantur, ostendunt, illud, quod pro nobis est effusum, esse in illo calice, sicuti etiam Chrysostomus & Theophylactus loquuntur, ex quo in cœna Dominica bibimus. Volunt enim poculum pro nobis esse effusum, hoc est, ipsum potum: Per Synecdochen enim continentis pro contento, poculum ibi sumitur pro ipso potu: Iste igitur potus qui in calice est pro nobis effusus: non autem vinum est pro nobis effusum, sed sanguis Christi. Sanguis igitur Christi realiter erit in hoc poculo, quando ex eo bibimus. Hanc vni horum cum animaduertat Beza impie scribit in annotationibus suæ peramentum, Lucam Euangelistam commisisse Solæcisimam, cum in Beza, se in omnibus Græcis codicibus & in Syro etiam interpretari inuenisse. LXII.

Quintò, Caluiani in his verbis Lucae figunt, Metonymiam, signi pro signato, piter hallucinantur: Non enim poculum dicitur Nouum testamentum per Metonymiam signi pro signato: Sed per Synecdochen continentis pro contento, poculum enim ibi accipitur pro ipsa portione, portio autem illa cum reliquis actionibus cœnæ Dominicæ adiunctis (vbi vicissim Synecdoche partis pro toto: accipitur enim portio tanquam pars pro reliquis actionibus etiam cœnæ Dominicæ omnibus) non significat Nouum testamentum, sed est reuera illud Nouum testamentum, quod cum Deo in cœna Dominica inimus. Sicuti ipsa Circumcisio, prout est totum Sacramentum, non significat fœdus, sed est ipsum fœdus. Dicitur igitur poculum Nouum testamentum, non quia significat sanguinem Christi, sed quia in eo nobis exhibetur sanguis Christi. Neq; igitur hic Metonymia Caluianorum vllum habet locum. LXIII.

Quintò,



LXIII.

Quintò, nostram sententiam etiam euidenter confirmat Apostolus Paulus, quando inquit in 1. Epistola ad Cor: 10. Panis quem frangimus nonne est participatio corporis Christi? Quicumq; igitur panem fractum accipit, ille etiam particeps fit corporis Christi, iuxta Paulum, quia panis fractus est participatio corporis Christi. Atqui etiam indigni accipiunt panem fractum, testibus ipsis Calumianis. Ergo etiam Indigni erunt participes corporis Christi, non fide, quam non habent Indigni. Ergo ore.

LXV.

Dentiq; & hoc negari non potest, quod totum Sacramentum sit in hisce terris, nullum enim est Sacramentum institutum, quod in cælo peragi debeat. Totum autem Sacramentum est non solummodo panis & vinum, sed etiam corpus & sanguis Christi. Ergo non solum modo quod est vinum & panis, sed etiam illud quod est corpus & sanguis Christi, erit in his terris, vbi cæna Dominica peragitur, quod elucet ex formula Veteris testamenti, quæ Hebræ: 9. recensetur sic. Hic est sanguis testamenti, quod mandauit vobis Deus. Sicuti igitur Moyses in Veteri testamento hac phrasi significauit sanguinem taurorum & hircorum, quo sanciebatur Vetus testamentum, iuxta Epistolam ad Heb: 9. præsentem esse: Ita etiam Christus hac formula Noui testamenti, Hic est sanguis meus Noui testamenti, voluit significare sanguinem suum præsentem esse in his terris, vbi cæna Dominica peragitur, cum non minus præsentia sanguinis Christi requiratur in sanciendo Novo testamento quàm sanguis hircorum & taurorum in sanciendo Veteri testamento. Non enim Christus hac formula voluit indicare, quid in cælo agere debeamus, sed quid in terris fiat. Ex his igitur satis superq; elucet, Orale manducationem corporis Christi, prout eam nos descripsimus, necessario in cæna retinendam esse.

## DE PASSIONE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI,

Thema I.



Quamuis per passionem Christi omnes infirmitates & miseriae, quas Christus toto suæ vitæ curriculo tempore exinanitionis in hoc mundo perpeffus est, intelligere possimus: tamen hoc loco principaliter eas afflictiones & eos cruciatus, quos Christus post institutionem cænae sacra vsq; ad extremum vitæ halitum sustinuit, denotamus.

Quam passionem, vt eo commodius ex sacra scriptura describere queamus, sciendum est, vocabulum Passionis multas habere significationes. Aliquando enim significat proprietatem naturalem, aliquando verò notionem quandam



quandam mentis: aliquando ponitur pro perturbationibus & affectibus: aliquando pro qualitate sensibili, quæ ex passione oritur: aliquando pro effectu actionis cuiusdam, prout ab agente introducit in subiectum patiens: aliquando etiam pro pœna alicui inflicta, siue id fiat iuste vel iniuste. Hæ sunt præcipuæ significationes vocabuli Passionis.

Quamuis non incommode tertia & quinta possint accommodari, omnium tamen maxime congruit vltima significatio. Est enim passio Christi nihil aliud, quam horrenda pœna, quam Christus propter peccata nostra, quæ amore nostri in se deriuarât, facto mirando temperamento iusticiæ & misericordie diuinæ spontè sustinuit, ad expiationem peccatorum totius mundi, & placationem iustissime iræ Dei, vt genus humanum à morte, peccato & æternæ damnatione liberaretur, & iusticia & vita æterna ipsi restitueretur.

Hæc descriptio quia continet totum negotium disputationis nostræ, ordine singulas ipsius partes enodabimus.

Primo, quòd passio Christi (per quam omnes cruciatus & afflictiones ipsius intelligimus) sit horrenda pœna Dei, quam propter peccata nostra Christus pertulit, ex sequentibus scripturæ dictis meridiana luce clarius elucebit. In Psalmo 69. inquit Dauid sub persona Christi: Laboraui clamans, rauca sunt factæ voces meæ, defecerunt oculi mei expectantes Deum meum. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Inualuerunt, qui persequuntur me inimici mei iniuste, quæ non rapui tunc exolvebam. Item in Psal: 88. Aestimatus sum cum descendentibus in foveam, factus sum sicut homo sine fortitudine, inter mortuos liber. Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum nulla amplius superest memoria, & ipse à manu tua abscissi sunt. Posuisti me in lacu inferiori, in locis tenebrosis & profundis. Item, Super me transierunt iræ tuæ, & terrores tui oppresserunt me. Item in Psal: 22. Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tanquam cera liquecens in medio ventris mei. Item Propheta Esaias cap: 43. sic loquentem introducit Christum: Seruire me fecisti in peccatis tuis, laborare me fecisti in iniquitatibus tuis. Ego ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Sic in 53. cap: idem Propheta inquit: Vulneratus est propter præuariasationes nostras, attritus est propter iniquitates nostras. Et Iehoua coniecit in eum iniquitates omnium nostrum. Sic etiam Propheta Ieremias in lamentationibus suis cap: 4. inquit: Propter scelus populi mei percussit eum. Sic etiam Paulus inquit ad Rom: cap: 4. Christus mortuus est propter peccata nostra.

Ex his & similibus scripturæ dictis, in quibus asseritur, Christum propter peccata nostra esse passum, manifestè colligitur, quòd passio Christi nihil sit aliud, quam horribilis pœna, quam Christus non sui, sed nostri causa, ex im-

3.

4.

5.

6.



mensio amore, quo nos persequebatur, pertulit: Ipse enim peccatum non noverat, sed pro nobis factus est peccatum. 2. Cor: 5.

7. Quoniam autem Christus est persona composita, ut loquitur Damascenus, constans duobus naturis, divina videlicet & humana, requirit necessitas, ut videamus iuxta quam naturam Christo hæc passio sit attribuenda, ut scire possimus, An etiam illa passio Christi sufficiens pœna esse queat pro nostris peccatis?

8. Quod ad divinam attinet naturam, ea certe passa non est neque pati potuit. Est enim immutabilis, ut Propheta Malach: 3. cap. inquit, & omnis vicissitudinis expers, ut Apostolus Iacobus 1. cap. asserit. Quapropter Christus secundum diuinitatem suam neque passus neque mortuus est.

9. Sequitur igitur Christum, ut Petrus loquitur in 1. Epistola cap. 4. passum esse carne, hoc est, secundum humanitatem: Humanitatis namque proprium est, posse mori & posse pati.

10. Hæc tamen interea non sunt ita accipiendi, quasi nudus homo sit passus, aut quasi sola humanitas ut quidam Caluiniiani loquuntur, pro nobis sit passa, ita ut passio nihil attineat ipsam diuinitatem, minime inquam hoc cogitandum est, conuelleretur namque expressus fidei articulus, quo confitemur, ipsum filium Dei unigenitum pro nobis passum esse.

11. Quomodo enim ipsa diuinitas non patitur, cum sit simpliciter immutabilis & impassibilis, attamen quia filius Dei semetipsum communicauit carni, seu carnis & sanguinis verè & realiter particeps est factus, ut loquitur Epistola ad Heb: 2. realissime etiam ipse λόγος seu ipse filius Dei passus est, non quidem secundum suam diuinitatem: sed iuxta propriissimam suam humanitatem, quam hac reali sua communicatione sui ipsius sibi propriam fecit: Nisi enim ipse filius Dei pro nobis esset passus, nondum essemus redempti, cum nudi & solius hominis passio non posset esse sufficiens λύτρον ac pretium pro peccatis nostris.

12. Hinc scriptura dicit, Dominum gloriæ crucifixum, in 1. ad Cor. 2. Et in Actis Apostolorum 2. Ipsum vitæ autorem esse interfectum, in Act: 3. Deum proprio filio non pepercisse, ad Rom: 8. Tradidisse unigenitum filium suum in mortem Iob: 3. Nos reconciliatos esse Deo per mortem filij ipsius. Item sanguine Dei redemptam esse Ecclesiam, Actorum 20. unde etiam Paulus in Epistola ad Galat: 2. inquit: Vitam quam nunc viuo in fide filij Dei, qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me.

13. Hæc & similia scripturæ dicta potenter euincunt, non solum carnem, sed ipsum Dei filium, propter realem communicationem naturarum, absque ulla tamen confusione, factam in persona Christi, pro nobis passum esse. Nisi enim filius Dei seu λόγος semetipsum communicasset assumptæ carni (unde & ipse



ipse vicissim teste Epistola ad Heb: 2. particeps factus est carnis & sanguinis) & hac communicatione sui ipsius propriam sibi reddidisset ipsam carnem, quomodo verè dici posset, ipsum vitæ autorem interfectum, ipsum Dominum gloriæ crucifixum. Item ipsum filium Dei pro nobis traditum in mortem, &c. Cum enim filius in sua diuinitate non patiatur, & tamen in sacra scriptura dicatur pro nobis traditus esse in mortem, necessum est, vt dicamus filium Dei passum esse in propriissima sua carne, cuius carnis si particeps non esset, & cui carni semetipsum si non realiter communicasset, propria ipsius caro non esset: Et si ipsius caro non esset, neq; caro τὸ ῥῶμα seu filij Dei realiter esset particeps, non possemus dicere passionem huius carnis esse ipsius filij Dei passionem: Et si non esset ipsius filij Dei passio, nondum essemus redempti per passionem Christi. Hoc est magnum illud pietatis mysterium, vt loquitur Paulus in 1. ad Timotheum: 3. quod omnes angeli admirari coguntur.

Quæ propter manifestum est grauissimè Caluianos hallucinari, quando realem naturarum communicationem in persona Christi mordicus pernegant: Abnegatâ enim hac naturarum communicatione, funditus certè euertitur articulus de redemptione nostra, vt perspicuè ostendit Lutherus in maiori sua Confessione aduersus Zwinglij & Doctores, quam etiam Beza amplectitur. Nudi enim hominis passio nos redimere non potuit.

Quid autem passio carnis seu humanitatis pertinebit ad ipsum λόγον seu filium Dei, si talis in Christo facta est unio, in qua filius Dei semetipsum nequicquam eorum quod est suum, carni assumptæ reipsa communicauit, propter ea quòd finitum finiti non sit capax? Hinc namq; sequetur, si principium hoc: Finitum non est infiniti capax, in hoc summo mysterio locum habere debet, quòd ipse λόγος seu filius Dei, quia infinitus est, caro autem finita, semetipsum nondum communicauit carni assumptæ, & per consequens neq; carnis assumptæ realiter sit particeps factus: Si enim realiter carnis esset particeps factus, etiam semetipsum proculdubio vicissim carni assumptæ communicasset. Si autem semetipsum carni assumptæ non communicauit, neq; carnis assumptæ particeps est factus, quomodo erit particeps passionis ipsius carnis? Si enim ipsius naturæ, vt Caluiani volunt, videlicet, carnis non est particeps factus realiter, quomodo erit propria ipsius caro, & quomodo passio carnis realiter ad ipsum pertinebit: imò quomodo passio carnis poterit esse passio ipsius filij Dei, non nomine tenus sed realiter? Quamdiu igitur Caluiani negant realem communicationem naturarum in persona Christi, tam diu negant manifestissimum fidei articulum, videlicet, ipsum filium Dei pro nobis esse passum sub Poncio Pilato.

Neq; est, vt hic nobis nudum vnionis personalis nomen obiciant, quasi hac ratione impietatem hanc euitare possint: Eiusmodi enim describunt vnionem per

14

15

16



uem personalem, que potius est dicenda combinatio seu assistentia quadam, eam dicant, vnionem personalem factam esse absq; vlla reali communicatione vel naturarum vel idiomatum. Item, cum dicant personaliter vniri filio Dei, nihil aliud esse, quam in persona filij Dei sustentari: que certè sustentatio non potest efficere, vt passio carnis sit passio ipsius filij Dei: alias enim, cum omnes sancti Martyres sustententur ab ipso filio Dei, dicendum etiam esset, quod falsum, omnes Martyres filio Dei personaliter esse vnitos, & omnium Martyrum passionem esse realiter ipsius filij Dei passionem, cum tamen passionem Martyrum non nisi per Schesin & relationem quadam ad ipsum Deum referantur: patiente igitur Martyre non possumus dicere, realiter ipsum filium Dei esse passum. Nisi igitur aliter definiunt vnionem personalem, & nisi realem naturarum communicationem in persona, Christi absq; vlla tamen confusione factam passio suerint, tanquam effectum vnionis personalis, ab hac impietate, nullo vnionis personalis pretextu, se liberare non poterunt, sed porro negabunt ipsum filium Dei pro nobis esse passum.

17.

Et quid opus est multis? Expressè scribunt Anhaltini, in Apologia sua contra Theologos Electorales, Chemnicium, videlicet, Iacobum Andrea, & Doctorem Zimmermannum, solam humanitatem in Christo esse passam, quam propositionem etiam Pezelius & Beza amplectuntur: Beza enim hanc propositionem, Deus est passus, ita resoluit, Caro Deitati vnita est passa.

18.

Hec autem propositio quòd verè sit Nestoriana & blasphemata cuilibet est manifestum: Si enim sola humanitas est passa, persona pro nobis non est passa: Sola enim humanitas non est persona: Si persona pro nobis non est passa, neq; filius Dei vllò modo pro nobis erit passus: Filius enim Dei est persona. Item, Si sola humanitas pro nobis est passa, nondum per passionem redempti sumus, siquidem solius humanitatis passio, quod testatur finis incarnationis, non potuit pro nobis satisfacere infinite iustitiæ Dei. Item, Si sola humanitas est natura duntaxat & non persona. Quia autem diuisis & separatis actionibus diuiduntur etiam ipsæ persone, quæ sunt subiectum quasi ipsarum actionum, duæ in Christo naturæ diuiduntur & separantur, quòd verè Nestorianum esse quilibet videt. Et vbi interea manebit principium illud, quòd etiam Calviniani in ore habere solent: Actiones non sunt naturarum, sed ipsius suppositi, id est persone. Quò quo modo igitur se vertant, Nestorianismum hic effugere non poterunt.

19.

Quòd ad resolutionem Bezae attinet, Deus est passus, id est, caro Deitati vnita est passa, cuperemus libenter scire, in quonam tandem Lexico siue Græco siue latino, Deus ponatur pro carne, & Deus idem significet quòd caro? Interim eodem modo Nestorianismum sapit, sicut & proposito Anhaltinorum.

Neq;



DE PASSIONE CHRISTI  
Neq; est vt dicant hoc loco Caluini: Si hæc propositio, Sola humanitas in Christo est passa, non sit vera, sequi hinc diuinitatem etiam esse passam, quod cum absurdum sit & impium, necessariò concedendum esse, quòd sola humanitas pro nobis sit passa.

21.  
Neutrum enim est necessarium, quamuis enim nec sola humanitas sit passa, neq; etià diuinitas pati potuerit, interim tamen ipse filius Dei pro nobis est passus, secundum propriissimam suam carnem, vt ita passio nõ tribuatur nature, sed personæ secundum carnem: Maximum enim est discrimen interhas duas propositiones: Sola humanitas in Christo est passa (quæ propositio cum passionem soli nature duntaxat attribuat, Nestoriana est) & Christus secundum solam carnem est passus, quæ posterior propositio vera est & Orthodoxa, passionem non soli nature sed personæ secundum humanitatem assignans. Quamuis igitur verum sit, solius humanitatis proprium esse pati, verum tamen minime est, solam humanitatem pro nobis esse passam, ob allatas rationes.

22.  
Quamuis autem ipsa diuinitas non patiatur, ab hac passione tamen simpliciter excludi nõ potest, quia etiam suas peragebat partes, non solum sustinendo carnem (quod & fit in aliis sanctis Martyribus) ne in passione succumberet: sed insuper pretium & pondus largiendo passioni, vt esset sufficientissimum ἄντις, vt interea nihil dicam, quòd quedam blasphemie in passione Domini equè concernebant Deitatem quàm humanitatem, quando videlicet dicebant: Si filius Dei es, descendas de cruce & iues te ipsum. Item, alios iuuare potuit semetipsum autem non. Item, quando dicebant: Blasphemia am locutus est, quia semetipsum fecit filium Dei. Hæc & similia equè pertinebant ad diuinam quàm humanam naturam.

23.  
Confitemur igitur ipsam diuinitatem, propriè & accuratè loquendo, non esse passam, neq; solam humanitatem esse passam: sed personam infinitam, ipsum filium Dei pro nobis esse passum secundum suam finitam naturam, videlicet humanitatem. Quapropter etiam passio Christi potuit esse infinitum ἄντις, cum infinita persona sit passa: Si autem sola humanitas, quæ est finita natura duntaxat, pro nobis esset passa, passio illa non potuisset esse infinitum pretium pro nostris peccatis.

24.  
Huc etiam referimus ipsam mortem, quæ etiam est pars passionis & obedientie Christi, sicut Paulus in Epistola ad Phil: 2. inquit. Quæ nihil est aliud quàm diuulsio localis animæ & corporis ipsius, salua interea manente naturarum vnione personali.

25.  
Dicitur mors Christi diuulsio seu separatio animæ & corporis, quia vere & realiter anima separata est à corpore in ipsa morte, sicut Euangelista Math: 27. inquit: Cum rursus clamasset voce magna, emisit Spiritum. Item. Mar: 15. Iesus autem emissa voce magna expirauit, & Luc: 23. Pater in manus tuas



commendo Spiritum meum. & cum hæc dixisset exspirauit. Et Ioha. 19. & inclinato capite tradidit Spiritum. Non igitur mors Christi fuit simulata, sed vera & realis imò localis separatio anime à corpore.

26.

Patet igitur ex descriptione mortis, non adeò accurratè illos loqui, qui hominem secundum corpus mori dicunt: quamuis enim rectè dicatur, hominem secundum corpus duntaxat corrumpi, & non secundum animam: Non rectè tamen dicitur, hominem secundum corpus mori duntaxat: Nam neq; corpus neq; anima moritur, cum definitio mortis illis non competat. Est enim mors separatio anime à corpore. Cum igitur mentio anime fiat in ipsa definitione mortis, quo iure ipsam animam à morte simpliciter liberam pronuncias bimus? Tam enim anima separatur à corpore, quam corpus ab anima, hoc duntaxat intercedente discrimine, quòd post ipsam mortem aliud accidat anime, aliud autem corpori: Corpus namq; corrumpitur & resoluitur in elementa ex quibus est compositum: anima verò non corrumpitur. Qui igitur hominem secundum corpus duntaxat mori dicunt, corruptionem cum ipsa morte perperam confundunt.

27.

Quamuis autem facta sit in ipsa morte localis & naturalis diuulsio anime & corporis: Personalis tamen interea vnio duarum naturarum Christi in media morte mansit salua & integra. Ut ut igitur corpus realiter est diuulsum ab anima, & neutrum alteri naturaliter adsuit (vnio namq; naturalis anime & corporis per mortem soluebatur) neutrum tamen interea diuulsum est ab ipsa diuinitate filij Dei, sed vbicunq; fuit ipsa diuinitas filij Dei, ibi etiam necessariò fuerunt anima & corpus Christi, nisi dissoluere velimus vnionem personalem. Dissolutio igitur vnionis naturalis anime & corporis Christi, non tollit vnionem personalem duarum naturarum in Christo. Nec tamen interea sequitur hoc Sophisma Caluinianum: Si Christus secundum carnem tum fuit vbicq; Ergo etiam vbicq; passus & crucifixus. Nisi & ita colligere velint: Filius Dei ὁ λόγος est vbicq;. Ergo etiam vbicq; assumpsit carnem, & non solum in vtero Mariæ virginis. Item, Deus vbicq; est, Ergo vbicq; & non solum in monte Sinai promulgauit legem. Item, Spiritus sanctus vbicq;. Ergo etiam vbicq; descendit in specie columbæ, & Ἰεροσολ. & ἑβρ. Non valet igitur argumentum à presentia ad actionem, Christus proprietate carnis non est vbicq;, sed in vno solum loco. Ergo etiam non vbicq; sed in vno duntaxat loco est passus & crucifixus. Secundum maiestatem autem ex vnione personali acceptam, iuxta quam non patitur, est vbicq;. Est igitur fallacia cause in Sophismate Caluinianorum.

28.

Cause efficientes passionis & mortis Christi fuerunt multe. Primò, amor Dei patris erga genus humanum, sicuti Euangelista Ioh: 3. inquit: Ita enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vniigenitum daret, &c. Item in  
1. Epistola



7. Epistola cap: 4. Per hoc patefacta est charitas Dei in nos, quòd filium suum unigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. Secundò, iusticia Dei, quæ requirebat perfectam satisfactionem pro peccatis nostris. Tertiò, Amor ipsius filij erga nos, sicuti Paulus inquit in Epistola ad Gala: 2. In fide viuio filij Dei qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Item in Apocal: 7. inquit Ioannes: Iesus Christus est fidus ille testis primogenitus ille ex mortuis, ac princeps regū terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris per sanguinem suum. Quirto, ipsa voluntas filij Dei, sicuti Psalmista Dauid inquit in 40. Psalmo. Ecce venio in volumine libri scriptum est de me: facere voluntatem tuam, Deus mi, delector. Item, Iohannes Euangelista 10. Propterea pater me diligit, quia ego depono animam meam, & eam rursus assumam, nemo tollit eam à me, sed ego depono eam per meipsum. Item, Matth: 20. Filius hominis non venit vt sibi ministraretur, sed vt ministraret, daretq; animam suam in redemptionem pretium pro multis. Quinta causa est, peccatum nostrum, sicuti Esaias 53. cap: innuit. Paulus ad Rom: 4. Iohannes Euangelista 1. Et Apostolus Pet: in 1. Epistola 2. Vltima etiam causa fuit, malitia & inuidia Iudeorum, auaritia Iude, & Pilati metus amittende gratiæ apud populum Iudaicum, & dignitatis apud Cæsarem.

Finis & effecta passionis ac mortis Christi sunt satisfactio pro peccatis totius mundi, hoc est, omnium & singulorum hominum, liberatio totius generis humani à potestate Diaboli, à damnatione legis & inferno, quemadmodum scribit Paulus in Epistola ad Rom: cap: 7. in Epistola 1. ad Timoth: 2. in 2. ad Cor: 5. & alibi. Vnde sequuntur, iustificatio, regeneratio, & tandem vita æterna quæ bona quamuis actu credentibus duntaxat applicentur, acq̄sita tamen sunt omnibus, quia pro omnibus & singulis hominibus Christus mortuus est & passus, sicuti Paulus asserit in Epistola ad Rom: 5. in 2. ad Cor: 5. in 1. ad Timoth: 2. & Epistola ad Heb: cap: 2. Et Euangelista Ioh: in 1. Epistola 2. Ipse nimirum est propitiatio pro peccatis totius mundi. Vnde etiam Paulus asserit in Epistola ad Rom: 14 & in 1. ad Corinth: 8. quòd Christus etiam sit mortuus & passus pro illis qui percunt, Et Petrus in 2. Epistola 2. dicit, quòd Christus etiam redemerit illos, qui abnegantes Christum celerem sibi accersunt interitum. Quod etiam vult Epistola ad Hebr: 10.

Falsa igitur & impia est doctrina Calvinianorum, qua dicunt Christum duntaxat pro electis & saluandis mortuum ac passum esse, pro electorum duntaxat peccatis Deo satisfacisse, pro reprobis autem & damnandorum peccatis neq; voluisse pati neq; passum fuisse, quæ opinio quantum detrahat merito & passioni Christi, patet ex scriptura dictis modò allegatis.

Neq; vllius momenti est, quod dicere solent: Si omnes homines essent reconciliati Deo, & liberati à peccato, per mortem & passionem Christi omnes sal-

29.

30.

31.



mnes etiam saluos fieri: quod posterius cum sit absurdum, prius etiam esse falsum. Committunt enim fallaciam causæ, confundendo ipsum meritum Christi cum applicatione meriti. Non enim idcirco quidam damnantur, quasi Christus pro illorum peccatis non satisfecerit, sed quia vera fide hanc satisfactionem sibi non applicant, sicuti causam damnationis in hac incredulitate constituit ipse Christus Iohan: 16. & 3. Item Marci 16. Et Paulus in Epistola ad Rom: 11.

32. Neq; Christus in 17. cap: Ioannis huic sententiæ aduersatur; quando inquit, Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi, quia tui sunt. Rogat enim his verbis Christus, non pro conuersione discipulorum, sed pro conseruatione in vera fide. Sic Christus duntaxat pro electis rogat vt conseruentur in fide: non autem rogat pro reprobis, vt conseruentur in incredulitate. Rogat tamen etiam pro reprobis vt nimirum conuertantur, vt videre est apud Lucam 23. vbi orat pro Pilato & pro Iudeis reliquis, qui eum cruci figebant. Abutentes igitur Caluiniani hoc dicto committunt fallaciam secundum quid.

33. Quòd etiam Christus dicit, se ponere animam suam pro ouibus, & Paulus, Christum semetipsum exposuisse pro Ecclesia, neq; hoc quicquam obest nostræ sententiæ: Nullibi enim scriptura dicit: quòd Christus animam suam posuerit tantum pro ouibus suis: quòd enim simul pro electis & reprobis sit passus, & pro illis etiam qui pereunt, ex superioribus scripturæ dictis apparet.

34. Reliqua scripturæ dicta, quæ Caluiniani pro sua impia sententiâ allegare solent, non ostendunt, quòd meritum Christi sit particulare, aut tantum ad verè credentes & electos attineat: sed hoc solummodo significant, quòd soli verè credentes & electi per veram fidem sibi applicent meritum Christi. Quamuis enim meritum Christi omnibus sit acquisitum, non tamen nisi credentes actu eo fruuntur, quia Deus ipse sic ordinauit, vt quicunq; particeps fieri velit meriti Christi, vera fide sibi illud applicet, sicuti legimus in 3. cap: Iohannis: Qui autem non sit particeps, is ideo non fit non particeps, quasi Christus ipsi non acquisierit, sed quia vera fide sibi non applicat, &c.

FINIS.



434  
Evangelische Predigt/

Von der größten Straffe Gottes/

Allen Frommen Kindern Gottes/  
welchen bey dieser kümertlichen Zeit hertz-  
lich bange ist/ zu Lehr und Trost/ den sichern Welt-  
Kindern aber zur Warnung und Schre-  
cken.

Gehalten in der Evangelischen Kirchen  
zu Kenersmarck/ Den 14. Julij/  
Am Buß-Tage 1683.

Durch  
Ferdinandum Albrecht Cremniciensem,  
Diaconum Daselbsten.



---

Gedruckt zu Lentschan. ANNO 1683.

Confec. u. lib. Dau. Brosch. u.  
st. 17 36. die 9. Augusti.



mnes etiam saluos fieri: quod poster  
falsum. Committunt enim fallaciam  
sibi cum applicatione meriti. Non enim  
Christus pro illorum peccatis non satis  
actionem sibi non applicant, sicuti ca  
constituit ipse Christus Iohan: 16. &  
Ia ad Rom: 11.

32. Neq; Christus in 17. cap: Ioanni  
quit, Ego pro eis rogo, non pro munc  
quia tui sunt. Rogat enim his verbis  
rum, sed pro conseruatione in vera fid  
gat vt conseruentur in fide: non autem  
in incredulitate. Rogat tamen etiam  
vt videre est apud Lucam 23. vbi ora  
cum cruci figebant. Abutentes igitur  
am secundum quid.

33. Quod etiam Christus dicit, se po  
lus, Christum semetipsum exposuisse p  
nostrae sententiae: Nulli enim script  
posuerit tantum pro ouibus suis: quod  
passus, & pro illis etiam qui pereunt, e

34. Reliqua scripturae dicta, quae Ca  
re solent, non ostendunt, quod merit  
ad verè credentes & electos attineat  
soli verè credentes & electi per veram  
Quamuis enim meritum Christi omni  
dentes actu eo fruuntur, quia Deus ip  
fieri velit meriti Christi, vera fide sibi  
Iohannis: Qui autem non fit parti  
quasi Christus ipsi non ac  
sibi non a

F I :





Evangelische Predigt/

434

Von der größten Straffe Gottes!

Allen Frommen Kindern Gottes/  
welchen bey dieser kümmerlichen Zeit hertz-  
lich bange ist/ zu Lehr und Trost/ den sichern Welt-  
Kindern aber zur Warnung und Schre-  
cken.

Gehalten in der Evangelischen Kirchen  
zu Reysersmarck/ Den 14. Julij/  
Am Buß-Tage 1683.

Durch  
Ferdinandum Albrecht Cremnicensen,  
Diaconum Daselbsten.



---

Gedruckt zu Leutschau. ANNO 1683.

Confec. u. lib. Dau. Broschelt  
f. 17 36. die 9. Augusti



